



I. N. D. N. J. C.

## PROLEGOMENA.

§. 1.

**I**nter alia, quæ sive ministris Ecclesiæ recenter ad officium Sacrum admotis, sive S. S. Theologiæ Studiofis ad ministerium sacrum adspirantibus apprimè necessaria sunt, haud postremum sibi locum vendicat præcipuorum casuum conscientiæ cognitio atque enodatio. Etenim si consideramus ipsam ministrorum vocationem, tot tantaque circa eam dubia occurrunt, ut vix animo possint esse tranquillò, si non ea, qua extricare se queant, casuum scientia polleant. Si vero ipsos sacri officii actus intuemur, proh Deum immortalem! quàm varii, quàm intricati casus occurrunt, qui adeo ad Sacrum ministerium admotos exercent, ut solida dubiorum casuum evolutione destituti, non raro in gravissimas incidant tentationes ipsa morte acerbiores, vel turpiter à recta via exorbitent, quandoque etiam gravissimam Magistratus animadversionem incurrant, qua de re tristissima passim exempla prostant.

§. 2. Atque hoc ipsum me movit, ut laborem hunc de enucleandis præcipuis conscientiæ casibus, qui ministris Ecclesiæ imprimis cognitu necessarii sunt, susciperem, maximè ne illotis, quod dicitur, manibus ad functionem sacram accedant.

§. 3. Acturo autem de casibus practicis modo nominatis, dispiendum ante omnia est, quid h. l. *casus* nomine veniat, quid sit *casus practicus*, qui & casus conscientiæ dicatur.

§. 4. *Casus* vocab. ambiguum est, modo enim lapsum vel ruinam notat, ut in illo Curtii: *inopinatò rbeda casu oppressus est*: modo notat eventum inopinatum, vel id, quod citra electionem accidit, ut in illo Senecæ: *Multa casu potius, quàm ratione eveniunt*: modo etiam casus dicitur, quod à mediocritate recedit, quo spectat tritum illud ex Augustino petatum; *omnis homo cum casu suo ambulat*, quia præceptum est in vitium: modo etiam casus nomine venit quæstio in controversiam vocata, aut de qua dubium suboritur, quæ acceptio hujus loci est.

A

§. 5 Hinc